

Conclamant - faciemus
viximus, z. h. ab Nobis
viximus!

Aug. 23

++
Leonis
triumphum Sept. 6
Ieremia et alios

2) ea de
Anno
Ex 11
nr 13/6

Form. 10

blice in banno misit Ravennates, Ariminenses, Popilienses, Bretenorienses, exceptis Liviensibus, qui nostri tunc, non re, sed nomine, v^{ide}abantur amici, ad cuius concionis strepitum et rumorem, dum concionator ^[a] ad metam veniret, fuit ingens ad sidera clamor et vastis repletur vocibus aer: ^[b] Conclamant omnes: ut iubes, sic faciemus. Hoc Ravennates et Livienses audito, qui ab eis fere per duo distabant miliaria, in fugam omnes, relictis curribus, conversi sunt. Procedente vero tempore parvo, in vigilia sancti Bartholomei, equitaverunt Faventini ad faciendum eorum fossatum inter Pratam et Fossolam, ad derivandas aquas ^[b] superfluas; ad eorum venientibus servitium, post multas dilationes, cc militibus Bononiensibus et LX balisteriis ^[c], die martis veniente ^[d], relicto eorum fossatu, summo mane Rafanariam, quae duplicibus muris et foveis magnis erat circumdata ^[e], cum manganis, balistis atque aliorum tormentorum generibus obsederunt hostiliter. Videntes Ravennates, quod castro succursum praebere nequirent, nec eorum aliter possent sedare dolorem ^[f], Liviensibus ccccccc ^[g] libras Ravennates apud plebem Sancti Martini in Barixano ^[h] ^[i] dedere, ut ^[j] per eorum domum ^[k] una cum Liviensibus et aliis eorum amicis ignem in burgo Faventino possent apponere ^[l], et amicitiam, quam cum Faventinis videbantur habere, possent dirimere, et apud dictam obsidionem separare; quod profecto omnium malorum sequentium Liviensium fuit ^[l] iniuriam. Die vero Sabbati, burgum intrantes Durbecci ^[m], in domibus ignem apposuerunt, ibidem paelio cum sacerdotibus et mulieribus commiserunt: in quo paelio multi ceciderunt ^[n] capti, vulnerati ac imperfecti. Faventini vero, more leaenae ^[o] catulos educantis, geminant vires et castro acrius instant. Sexto vero die Septembris, de dicto castro plenum habuere triumphum ^[p]; in quo quidem castro captus fuit dominus Anastasius et dominus Ieremias de Polenta, alii quinquaginta quatuor cum domino Ugolino de Corbis. Nam prius praedonum, bannitorum, latronum receptaculum fuerat, et ideo Tomesis ^(sic) effracta jaceat ^[q] infelix nata supina; Iustior in terris numquam fuit ulla ruina. Iterum: Ecce iaces meritis arida facta tuis. Incepserunt illico Faventini magis offendere Livienses; nam bis in septimana usque Fractariam equitabant, eorum vineas et arbores et segetes

[a] concionator, C. V.; concinator, C. M. — [b] ad derivandas aquas, C. M.; ad decimandas aquas, C. V.; ad dirimendas aquas, C. A. — [c] ad eorum venientibus servitium, post multas dilationes, cc militibus Bononiensibus et LX balisteriis. Sic lego ipse. Cod. M. habet: ad eorum veniente servitium, post multas dilatationes, cc milites Bononienses et LX balisterios. — [d] die martis veniente, Codd. M. et A.; die nativitatis veniente, C. V. — [e] et foveis magnis erat circumdata. Sic ex Codd. A. V. et M.; et foveis et stagnis erant circumdata, legit cl. Mitt. — [f] sedare dolorem, C. M.; sedare coleram, C. A.; sedare calorem, C. V. — [g] ccccccc. Sic C. M.; sexcentum, C. V. — [h] in Barixano, C. M.; in Banxano, C. A.; in Battixano, C. V. — [i] dedere ut, C. M.; dederunt ut, C. A.; debere ut, C. V. — [j] per eorum domum, Codd. M. et V.; pro eis demum, C. A. — [k] possent apponere, Codd.; possent opponere, legit cl. Mitt. — [l] Liviensium fuit, C. M. Deest, Liviensium, in reliquis Codd. — [m] intrantes Durbecci, C. M.; intrantes Durbecchi, C. V. — [n] multi ceciderunt. Haec sunt ultima verba codd. Manfrediani; nam hic desinit, deficientibus aliquot foliis, quae finem hujus historiae continebant. In C. V. ad hunc locum, media in pagina, haec verba inscripta invenio: Reliqua desiderabantur, sed postmodum reperta sunt, et sequenti pagina scripta. Sed nobis iterum dolendum est, eadem ipsa, culpa nescio qua, desiderari in C. M. Deinceps igitur reliqua persequar ex Cod. Viaraneo, et simul utar fragmentis C. A. ubi res postulaverit. Sed uterque codex mendis scatet. — [o] more leaenae, C. A.; more leonis, C. V. — [p] de dicto castro plenum habuere triumphum, C. V. In C. A., sic: dictum castrum cum turri et erubula (sic), et murorum multitudine dextraverunt funditus, et de intrinsecis clausis plenum habuerunt triumphum. — [q] effracta jacens, C. V.; effracta jaces legendum eurafa jaces, C. A.

++ Non fuit ab Universitate aut G. V. (= Codex Viarani-Tasi in Faenza Bibl. Com. Nr. 282)
mit Schrift am Rand notiert.

Göttingen 1926

F. Guterbork.